UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

De miraculis, quæ Enoch, & Helias edituri sunt toto suæ prædicationis tempore. Sectio XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

Visual Library

catoribus, & prælatis efficacius, & ad perſuadendũ vehemétius excogitari poteſt,
quàm ſi præſtent ipſi, quod prædicant. Eam enim etiã ob cauſam Ioan. Baptiſta
prædicaturus pœnitentiã in victu ipſo, & veſtitu pœnitentiã coluit: vnde meritò *Prædicatorũ exemplum.*
ſe vocem eſſe dixit, quia totus erat vox quædam, quæ alijs pœnitentiam ſuadebat.
In cuius rei figurã ex limbo ſuperhumeralis ſummi Sacerdotis pẽdebãt tintinna-
bula: quia nimirum ipſe etiam veſtitus prædicatoris, ipſáq; viuẽdi ratio debet eſſe *Exod. 39.*
vocalis, virtutémq; & ſanctimoniã perſonare, quemadmodũ obſeruauit D. Hier. *Pontifi.is*
ad Fabiolã de veſte Sacerdotali. *Tanta*, inquit, *eſſe debet ſcientia, & eruditio Pontificis* *item.*
Dei, vt & egreſſus eius, & motus, & vniuerſa vocalia ſint: veritatẽ mẽte concipiat, & toto eam D. Hieron.
habitu reſonet, vt quicquid agit, quicquid loquitur, ſit doctrina populorum: abſque tintinnabulis
enim, & diuerſis coloribus, & gemmis, floribúſque virtutũ nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen
Antiſtitis poßidere. Hæc ille. Vnde Regius Propheta Deum quoque ipſum ad præ-
ſtandũ, quod præcipit, exhortatur, quo facilè poſſit ſubditos ad ſui amorẽ, ſuorũq;
præceptorũ obſeruationẽ pertrahere, cum ait: *Exurge Domine Deus in præcepto, quod* *Pſal. 7. 7.*
mandaſti, & ſynagoga populorũ circundabit te: hoc eſt, Praſta, quod faciendũ alijs præ- *Exempli vis.*
cepiſti: ſic enim omnes te vt Principẽ colent, & tua omnia iuſſa facilè exequẽtur.
Ita præter alios hunc locum intellexit D. Auguſt. in comm. in Pſ. *Humilitatem*, in- *D. Auguſt.*
quit, *præcepiſti, humilis appare: & tu prior imple, quod præcepiſti, vt exemplo tuo vincentes*
ſuperbiam non poßideantur à Diabolo, qui aduerſus tua præcepta ſuperbiam perſuaſit dicens:
Manducate, & aperientur vobis oculi, & eritis tanquam Dij. Hæc Auguſt. *Gen. 3. 5.*

De miraculis, quæ Enoch, & Helias edituri ſunt toto ſuæ prædicationis tempore.

SECTIO XI.

QVoniam grauiſſima futura eſt Antichriſti perſecutio, potiſſimùm verò pro- I.
pter ſigna, & prodigia mendacia, vt ait Paulus 2. Theſ. 2. quibus doctrinam *2. Theſſ.*
ſuam perſuadere conabitur, *ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*, quẽ- *Mat. 24. 24.*
admodum Chriſtus denunciauit: idcircò miſericors Deus, qui non ſinit quẽquam
vltra vires tentari, ſummo conſilio prouidit, vt Enoch, & Helias toto ſuæ prædi-
cationis tempore, hoc eſt, mille ducentis ſexaginta diebus veram Chriſti fidem
non ſolùm verbo ſtatuant, ſed etiam illuſtriſſimis miraculis confirment, atque
adeò validiſſimam illam Antichriſti mẽdacium ſignorum machinam omnino la-
befactent. Quænam verò ea miracula futura ſint, Ioannes illis verbis explicauit:
Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: poteſtatem habent
ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcunque
voluerint. Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore ipſorum, & deuorabit inimicos eo-
rum: quæ ad conſolationem fidelium ſigillatim libet exponere.

Primum igitur habebũt poteſtatẽ claudendi cælũ, hoc eſt, vt ſtatim exponitur, II.
prohibẽdi pluuiã, quemadmodũ iam ante Heliæ cõceſſum fuerat. Promiſit enim *Enoch, &*
illi Deus non futurã pluuiam, niſi cũ ipſe petiiſſet: itaque non pluit tribus annis, & *Helias Anti-*
menſibus ſex. Ea verò promiſſio colligitur ex illis verbis Heliæ 3. Reg. 17. *Viuit Do-* *chriſti tem-*
minus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei ver- *pore prohi-*
ba. Qua de re eſt elegans ſerm. D. Chryſ. in Heliam Prophetam tom. 5. Quid ergo *bebunt plu-*
in terris diuinius, & ad fidem aſtruendã efficacius cogitari poteſt, quàm duos re- *uiam.*
periri homines Antichriſti tẽpore Chriſti famulos, qui cælũ, & terrã moderẽtur, *3. Reg. 17. 1.*
habeántq; vt cũ Ioanne loquamur, cæli ipſius clauẽ ad cælũ, cum voluerint, clau-
dendũ, & aperiendũ? Hoc enim ſignificatur, cũ dicitur: *Habebunt poteſtatem clauden-*
di cælũ, & ita claudendi, vt nulla vi Antichriſti ſectatores illud poſſint aperire, quò
manifeſta fiat eorum vanitas, Chriſtíque domini imperiũ, & gloria magis reſplen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

deant. Quare qui eo tẽpore ſeſe ad Antichriſtũ adiunxerit, nullã habere poterunt excuſationẽ deſertæ fidei. Etenim veriſſimũ etiã tũc erit illud: *Fidelis autẽ Deus eſt, qui non patietur vos tẽtari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiã cũ tentatione prouentũ, vt poſſitis ſuſtinere*: vbi pro, *ſuſtinere*, eſt Græcè ὑπενεγκεῖν, id eſt, *ita ſuſtinere, vt ſuperſint adhuc vires ad plus aliquid ſuſtinendũ*. Itáque id auxiliũ Deus cõfert, vt cũ magno exceſſu poſſit quis tentationẽ ſuperare. Idcircò igitur Deus tã amplam tribuet Enoch, & Heliæ poteſtatẽ miracula perpetrãdi. Atque hanc moderationem habet illud, quod ait D. Greg. lib. 32. mor. c. 13. vbi agens de perſecutione Antichriſti, *Penſemus*, inquit, *quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius Martyr & corpus tormentis ſubijcit, & tamen ante eius oculos tortor miracula facit? Cuius tunc virtus non ab ipſo cogitationum fũdo quatiatur, quãdo is, qui flagris cruciat, ſignis coruſcat?* Hæc ille. Sed ad huiuſmodi tẽtationis vim frangendã toto eo tẽpore Enoch, & Helias illuſtriſſimis ſignis, & miraculis coruſcabũt. Duo hic ſunt obſeruanda. Vnũ eſt meritò impijs eo tempore cœlũ claudi, cũ illud modò nõ ſolùm ingredi non curẽt, ſed etiã ſceleribus oppugnẽt: quæ eſt vna ex maledictionibus, quas Leuitæ populo imprecabantur, ſi legẽ Diuinã violaſſet. *Sit cœlũ, quod ſupra te eſt, aneum: & terra quam calcas, ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ puluerẽ, & de cœlo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris*: ex quo loco obiter collige ſæpe propter hominũ ſcelera iratũ Deum tempeſtiuã pluuiam denegare: atque adeò, cum id contingit, peccatores ad pluuiam impetrandã pœnitentiæ, & morũ cõpoſitionis admonere. Alterum eſt, quanto honore, & amore Deus Sanctos ſuos proſequatur: ſiquidẽ eis potẽtiæ ſuæ, atque adeò theſauri claues liberaliter cõmittit, vt alteri quidã Dij in terris videãtur. Hoc enim ſenſu dictũ eſt Moyſi Exo. 7. *Ego te conſtitui Deũ Pharaonis.* Idẽque maiori iure de Enoch, & Helia illis temporibus dici poteſt: quòd ſcilicet Dij Antichriſti conſtituendi ſint.

1. Cor. 10. 15. — *Auxilium Dei ad ſuperandas tentationes.* — *D. Greg.* — *Deut. 28. 23.* — *Pluuiam tẽpeſtiuã propter peccata denegat Deus.* — *Sanctos ſuos quãto honore proſequatur Deus.* — *Exod. 7.*

III. Deinde habebunt poteſtatem cõuertendi aquas in ſanguinem, quam etiã datã legimus Moyſi Exodi ſeptimo: imò percutiendi terram omni plaga, quotieſcũq; ipſi voluerint quod ſummæ poteſtatis erit, ſiquidem Deus pro eorũ arbitratu potentiam ſuam, & vim infinitam exeret, vt verum ſit illud, quod ait Philo Iud. lib. 1. de vita Moyſis: *Cum amicorum omnia ſint communia, idcirco Deum poteſtatem, & opes ſuas cum Sanctis communicare.* Denique mirũ eſt, quod ſequitur: Si quis eos occidere tentauerit, ignem egreſſurũ de ore ipſorũ, hoſtẽſque deuoraturũ toto nimirũ tẽpore, quod eis fuerit ad prædicandum definitum. Id quod ita accipiendũ eſt, vt ad Enoch, & Heliæ imperium deſcenſurus ſit ignis de cœlo, qui ipſorũ hoſtes, & aduerſarios inflammet, ſicut legimus 4. Reg. 1. ad preces Heliæ deſcẽdiſſe ignem de cœlo, qui duos Principes quinquagenarios cũ ſuis quoque militibus interemit.

Exod. 7. — *Enoch, & Heliæ poteſtas aduerſus Antichriſtum.* — *Phil. Iud.* — *4. Reg. 1.*

Enoch, & Heliam ab Antichriſto occidendos: & cur Hieruſalem, in qua occidendi ſunt, Ægyptus, & Sodoma appelletur?

Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.

SECTIO XII.

I. ABſoluto ſuo teſtimonio Enoch, & Helias interficientur à beſtia, quæ aſcendet de abyſſo, hoc eſt, ab Antichriſto: eorúmque corpora, vt ait Ioannes, iacebunt tribus diebus cum dimidio inhumata in plateis ciuitatis magnæ, *quæ vocatur*, inquit, *ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus.* Quænam verò ea ciuitas futura ſit, ſtatim explicauit, ſubiungens: *Vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*: quod ſimul dictũ exiſtimo ad Heliæ, & Enoch conſolationem: vt nimirùm meminerint glorioſum ſibi fore in ea ipſa vrbe mori pro Chriſto, vbi Chriſtus eorum Dominus pro ipſis crucifixus

Enoch, & Helias interficientur ab Antichriſto.